



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Capitulum I. Relatum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

sum Venerabilis 21. de cons. & notat hic Anchoranus colum. 1. Franc. n. 3.

Norandum tertium. Nulla consuetudine aut statuto introduci potest, ut in Ecclesijs curatis, quæ Episcopo subjectæ sunt etiam quoad institutionem ministrorum, instituti, & intitulati per alium removeantur, quàm per Episcopum. Ita colligit hic Franc. n. 2. esset enim directè contrarium jurisdictioni Episcopali, atque Ecclesijs no-

xium, si ministros ab Episcopo institutos, eidemque subditos, alius, v. g. monasterij Abbas, amovere, sive destituere posset; interim nihil obstat, quò minus per privilegium, ac præscriptionem, jus non tantum instituendi, sed etiam destituendi ministros, à Clericis in dignitate constitutis, & Prælati acquiri possit, juxta ea, quæ dixi in disp. de jurisdictione
sonc. 77.

TITULUS XXXVIII.

DE JURE PATRONATUS.

Quia ad Capellas monachorum unitas monasterio frequenter competit jus præsentandi presbyteros; ad multa etiam beneficia, de quibus superioribus Titulis dictum fuit, Clericorum institutio fiat ad præsentationem patroni, idè de Jure Patronatùs hoc in loco tractatur.

CAPITULUM I.

Relatum.

PARAPHRASIS.

Ad Synodum Cabilonensem sub Carolo Magno perlatum erat, cum inter hæredes fundatoris, ac Patroni discordiæ ortæ essent, quòd Ecclesia in plures partes fuerit divisa, quarum singulæ suos habeant presbyteros: decernit itaque Synodus, Ecclesiam inter hæredes Patroni dividi non debere, sed si controversia inter illos orta sit, propter quam presbyter officio suo canonicè fungi non possit, & res componi nequeat, prohibendum esse ab Episcopo, ne in ea Ecclesia missarum solemnitas celebrentur, donec ad concordiam redeant hæredes, & Ecclesia Sacerdotem

canonicè institutum habeat, qui suum ministerium liberè exerceat.

SUMMARIUM.

1. Si plures sint Patroni hæredes, quid faciendum circa præsentationem?
2. In discordia patronorum, qui ad concordiam adigi non possunt, quid Episcopo faciendum?

Notandum primum. Si plures sint Patroni hæredes, Jus Patronatùs, & præsentationis inter se dividere non possunt, ut unus in una parte Ecclesiæ, alius in alia, presbyterum collocet, Rationem dat *Gloss. hic*, quia Jus Patronatùs est quid simplex, & indivisibile, atque idè pluribus ita competit, ut singuli habeant in solidum. Veruntamen ad evitandas discordias, quæ facile oriri possunt inter patronos, dum alius hunc, alius illum Clericum judicat esse præferendum, remedium indicatur, & permittitur in *Clement. 2. hoc tit.* ut patroni jus præsentandi inter se dividant, ratione temporis, & alternis vicibus præsentent, sive in una Ecclesia, sive in pluribus; idè quæ dicendum, si duo patroni annos, aut menses inter se partiantur, v. g. si mensis, vel annus sit in numero pari, pertineat præsentatio

Nun

ad

ad Titium; si in impari, ad Cajum. Aliud remedium affert *Gloss. recepta in cit. Clement. v. liberè*. ut patroni divisionem instituant ratione locorum, seu Ecclesiarum, si videlicet in pluribus Ecclesijs patroni Jus Patronatus habeant simul, conveniant inter se, ut unus in hac, alius in alia Ecclesia præsentet. Quòd si verò ejusmodi divisio inter patronos per pactionem voluntariam facta non sit, tunc considerato communi jure, distinguere oportet, num Jus præsentandi pertineat ad plures ut singulos, an verò ad plures ut conjunctos; si ad plures, ut singulos, quod accidit, si plures sint patroni ex diversis causis, videlicet unus ex fundatione Ecclesiæ, alius ex ædificatione, alius ex dotatione: vel si unus patroni plures filij aut hæredes sint, quamvis ex partibus inæqualibus, tunc quilibet per se, ac seorsim præsentationem facere potest; recipietur autem eorum præsentatio, quæ magis concors fuerit, seu quæ à pluribus facta, uti explicabo *in c. 3. hoc tit.* quòd si autem plures præsentati æqualia habeant suffragia, instituendus est, qui magis idoneus videtur Episcopo; si æquè sint idonei, locus est gratificationi, uti ex communi tradit *Barb. in c. quod autem hoc tit.* In altero casu, si ad plures ut conjunctos præsentatio spectat, unam præsentationem facient ex majoritate suffragiorum, ita ut minoris partis suffragia nihil valeant, v. g. si ad 10. conjunctim pertineat jus præsentationis, necesse est, ut 6. consentiant in unum; sin autem 4. unum, tres alium, & alij tres alium præsentent, nullus ex vi præsentationis jus aliquod acquirit; secùs verò est, si ad plures pertineat præsentatio, ut ad singulos, tunc enim quæ à pluribus comparatione non totius numeri, sed aliarum partium præsentatus fuerit, instituendus est: quam differentiam ponunt *And. Abbas in cit. c. 3. n. 13. Zabarella in Clement. 2. col. 2. hoc tit. Garz. de benef. f. c. 9. n. 222.* ubi notat, in dubio esse præsumendum jus præsentandi ad plures pertinere, ut singulos. Porrò duobus modis præsentatio pertinere potest ad plures

ut conjunctos. Primò jure utriusque, ut in calu certum est non valituram præsentationem, nisi collegialiter, seu à congregatis decreta fuerit, quia collegium, seu universitas non est sine congregatione, ut docet *Innoc. 6. cum nobis, de electione, de dicit in disp. de Prælatiis q. 41.* Alter modus est; si ad plures pertineat, tanquam hæredes unius patroni, juxta *cit. Clement. 2. col. definitum est, si plurium originalium Patronorum hæredes existerent, g. unus ex fundatione duo filij, alterius ex constructione Ecclesiæ 4. filij, quòd jus præsentandi habeant, non per capita, sed per stirpes, adeoque illi 4. unam tantum vocem habent, alteram illi alij duo; quare quia tribus ex quatuor, adeoque à majore parte stirpis, seu familiæ præsentatus fuerit, unum habebit suffragium: quòd si alij duo, vel unus ex illis alium præsentare velit, censetur præsentatio fieri in discordia, nec præsentent suffragia plurium, prout docent DD. *in cit. Clement. & videtipote Abbatis in c. pastorali n. 6. de re scriptis.* ubi ait, cum *Gloss. v. plures*, quòd deputari ad unum officium omnes sunt loco unius, & idem *Abbas in c. scriptum n. 6. de electi.* ubi exemplificat, si ad aliquem actum decernendum conveniant duæ tribus, necesse est, ut utriusque tribus major pars consentiat; sin non, discordia reputabitur; quòd si ad decernendum conveniat tertia tribus, tanquam tria corpora, necesse est ad valorem actus, vel item duæ tribus secundum majorem partem singularum consenserint, tunc valebit actus seu decretum, etiam si tertia tribus dissentiat. Dubitant verò DD. si ad plures pertineat præsentatio in stirpes, utrum necesse sit, eos congregari, an verò seorsim possint suffragia. Placet responso *And. in cit. c. 3. n. 4.* licet de entius sit eos congregari, tamen non esse necessarium, cum propriè non faciant collegium; quamvis consentiant oppositum apud *Garz. n. 227. mod. Prosper Farinacius in praxi l. 1. q. 1. n. 9. Abbas in eodem c. 3. in fine exilumant;* & plures præsentent, uti singuli, tamè congregati*

dos esse; quod verum est, si ita statuto, vel consuetudine receptum sit, ut videl. singulorum rationes audiantur.

Notandum secundum. Si Episcopus Patronos ad concordiam adigere non possit, neque alio modo Ecclesie sine scandalo providere, tunc ad id, tanquam extremum remedium, fugere debet, ut cessationem à divinis imperet in Ecclesia, donec minister constitutus sit. Idem habetur in c. consequente. Admonet verò Glossa finalis hic, ad hoc medium veniendum non esse, si aliter consuli possit; quare Abbas hic ita distinguit; aut est contentio inter Patronum, & Episcopum, tunc Episcopus Administratorem, seu Vicarium amovibilem ponit, donec controversia componatur *argum. c. 4 de officio ordinarij*, & tradit Innoc. hic; aut est contentio inter Patronos, tunc Episcopus expectare debet lapsum temporis Canonici, videlicet quatuor vel sex mensium, presentatori concessum; quo tempore elapso, Episcopus ministrum liberè instituet, *tit. c. 3* dummodo sine scandalo possit, sicuti Glossa finalis noatvit quòd si verò post elapsum hoc tempus ministrum institutum ab Episcopo Patronus repellat, locus erit remedio hujus Capituli, teste Innoc. in fine Capituli.

CAPITULUM II

Quæcunque.

PARAPHRASIS.

Si Patroni in presentatione ministri dissident, Episcopus, si aliter consulere Ecclesie non possit, tollat inde reliquias, & ostia Ecclesie claudat, ut nemo in ea celebret, donec Patroni presbyterum idoneum statuunt. Sumptum est ex Conc. Tiburien. c. 32. & refertur in c. si plures 36. causa 16. q. 7.

Notandum unicum. Si cessatio in divinis ponenda sit ab Episcopo, & Ecclesia claudenda, prius sacra Reliquia exportari

debent; quod tamen intelligi non debet de ijs Reliquijs, quæ altari inclusa sunt, quia per talem extractionem sigillum violaretur, & altare execraretur, ut postea dicitur, idque annotavit And. Abbas & alij hic.

CAPITULUM III.

Quoniam.

PARAPHRASIS.

Cùm in quibusdam locis Ecclesiarum fundatores, eorumve hæredes potestate ea, in qua Ecclesia eos hæteus sustinuit, abuti soleant, quando non considerantes, quòd una Ecclesia unius esse debet Rectoris, ob dissensionem plures presentant, idcò Alexan. III. in Conc. Lateranensi e. 17. decernit, ut si patronorum suffragia in diversas partes, & personas divisa sint, is præficiatur, qui majoribus juvatur meritis, & plurium suffragiis; sin autem id sine scandalo fieri nequeat, Episcopus Ecclesiam ordinet, sicuti ipsi consultus videbitur, idemque faciat, si inter aliquos de Jure Patronatus quæstio orta sit, & intra 4. menses non definita.

SUMMARIUM.

1. Jus Patronatus competit Patronis Ecclesiarum ex Ecclesia concessione, & gratia.
2. Unus beneficii unus debet esse Beneficiarius.
3. Presentatus à pluribus Patronis, si idoneus sit, institui debet, modo sine scandalo fieri hoc possit.
4. Duo casus sunt, in quibus Episcopus liberam in beneficio patronato instituendi licentiam habet.

Notandum primum. Jus Patronatus competit Patronis Ecclesiarum, ex Ecclesie concessione, & quidem ex gratia, non debito. Ita sumitur ex hoc e. verbo sus-

Nnn 2.